



Universitätsbibliothek Paderborn

**Avgvstini Barbosæ I. V. D. Lvsitani, Protonotarii, Et
Ivdicis Apostolici designati pro Tribunali Nunciaturæ
Hispaniæ, ac insignis Ecclesiæ Vimaransenis Thesaurarij
Maioris, Collectanea Doctorvm, Qui ...**

Barbosa, Agostinho

Venetiis, 1643

8. In hospitalibus hospitalitas exerceatur, & vbi non poterit exerceri ob defectum peregrinorum, fructus illi destinati ad hospitalitatem applicentur alicui operæ pi[a]e, nisi aliter in fundatione ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-14108

In hospitalibus hospitalitas exerceatur, & ubi non poterit exerceri ob defectum peregrinorum, fructus illi destinati ad hospitalitatem applicentur alicui opere pia, nisi aliter in fundatione statutum fuerit.

C A P V T VIII.

- 1 Hospitalitas laudanda, & amplectenda.
- 2 Hospitalitatem qui teneantur prestare, cogere possint ad illam.

Admonet sancta Synodus quoscumque Ecclesiastica beneficia, secularia, seu regularia, obtinentes, ut hospitalitatis officium, a sanctis Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum pronentiam licebit, prompte, benigneque exercere assuescant, memores, eos, qui hospitalitatem amant, Christum in hospitibus recipere. Illis vero, quae hospitalia vulgo nuncupata, seu alia pia loca, ad peregrinorum, infirmorum, senum, pauperumve usum praecipue instituta, in commendam, administrationem, aut quemcumque titulum, aut etiam Ecclesijs suis vnita, obtinent, vel si Ecclesiae parochiales, hospitalibus sorte vnita, aut in hospitalia erecta, earumque patronis in administrationem concessa sint, praecipit omnino, vt impositum illis onus, officiumve administrent, atque hospitalitatem, quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant, iuxta Constitutionem Concilij Viennensis, alias in hac eadem Synodo sub fel. rec. Paulo III. innouatam, quae incipit, Quia contingit. *β* Quod si hospitalia haec ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta, nec in loco, vbi sunt dicta hospitalia, similes personae, aut perpaucae reperiantur, mandant adhuc, vt fructus illorum in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco & tempore vtilior, conuertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum vsu periores sint, per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit: nisi aliter forte, etiam in hunc euentum, in eorum fundatione, aut institutione fuerit expressum, quo casu, quod ordinatum fuit, obseruari curet Episcopus: aut, si id non possit ipse, prout supra, vtiliter provideat. Itaque si praedicti omnes, & singuli, cuiuscumque Ordinis, & religionis, & dignitatis, etiam si laici fuerint, qui administrationem hospitalium habent, non tamen regularibus subiecti, vbi viget regularis obseruantia, ab Ordinario moniti hospitalitatis munus adhibitis omnibus, ad quae tuentur, necessarijs, re ipsa obire cessauerint, non solum per Ecclesiasticas censuras, & alia iuris remedia ad id compelli possint: sed etiam hospitalis ipsius administratione, curae perpetuo priuari possint, alijsque eorum loco ab ijs, ad quos spectabit, substituantur. Et praedicti nihilominus, etiam ad fructuum restitutionem, quos contra ipsorum hospitalium institutionem perceperunt, quae nulla eis remissione, aut compositione indulgeatur, in foro conscientiae teneantur, nec administratio, seu gubernatio huiusmodi locorum vni & eidem personae ultra triennium deinceps committatur, nisi aliter in fundatione cautum reperiat: non obstant, quo ad omnia supra dicta, quacumque vnione, exemptione, & consuetudine in contrarium, etiam immemorabili, seu priuilegijs, aut indultis quibuscumque.

Vide nouissimè Stephan. VVeyms ad constitutiones 24. ex antiquo iure desumptas, & per Concil. Triu. innouatas, constit. 16. pag. 161. cum seqq. vbi dicit Clem. quia contingit, de relig. domib. innouari per decretum Concil. in praesenti, & vnum ac alterum multipliciter explicat ac interpretatur. Hospitalitatem laudandam, amplectendam, & mandandam esse, multis S. Scripturae & Sanctorum Patrum auctoritatibus probat, Ego ipse de offic. & potest. Episcopi part. 1. tit. 3. gloss. 9. super verb. hospitaliam. Vide etiam Cass. in Catalogo gloria mundi, p. 11. consid. 46. Cosm. in pragm. Sanctorum, in proem. §. nam Ecclesiarum, in gloss. hospitalitas §. 36. Chopin. de sacra politica lib. 3. tit. 5. à princip. Illustrissimus D. meus Roderic. à Cunha in comment. ad sum. dist. 42. nu. 1. pag. 315. & ad hoc propositum elegantia sunt verba Stephani VVeyms d. constit. 16. num. 1. pag. 170. quae sequuntur. Neque enim sine ratione. Deus paupertatem inter homines constituit, cum per eam quisque sui viam sternere possit in caelum, illi quidem qui eiusdem miseriae suscipiunt per patientiam: alij vero qui largitatis diuinae rore affluunt per liberalitatem, diuitias suas egenis participando, indeque meritum sibi comparando: nam praeterquam quod ad hanc participationem natura ipsa per compassionem nos moueat, ratio quoque nos obligat & impellit, vt non immerito D. Ambros. ferm. 8. sup. verb. Euang. eum qui indigentibus denegat, dum abundat, eodem loco habuerit, quo sunt illi qui alicui habenti suum auferunt: vnde Christus etiam Saluator noster docuit Luca cap. 12. eum, qui vult perfectus esse, debere vendere omnia, quae habet, & dare pauperibus: sic commendans hospitalitatem, & elemosynam tanquam veram medelam ad remissionem peccatorum, cap. 1. dist.

42. Illiusque exemplo subsequentes Apostoli & discipuli diligentissime semper charitatis opera, & pauperum memoriam commendauerunt, teste D. Paulo ad Hebr. cap. 13. hospitalitatem nolite obliuisci. Etenim per illius pium exercitium aliqui Deo ita placuerunt vt etiam Angelos hospitio recipere promeruerint, prout de Abrahamo & Loth legitur Genes. cap. 18. & 19. Et ad contra refertur viduam fuisse prohibitam recipi in Ecclesia, quae pauperes hospitio non receperat 1. ad Timoth. c. 5. cap. quomodo 31. quest. 1. Quamobrem obseruare licet ab omni fere auo ostentatum fuisse vt homines deuoti & pijs charitatis operibus vt plurimum sese dederint, tum per alimentacionem pauperum per gringorum, & miserabilium personarum, tum etiam per fundaciones locorum & hospitiorum, in quibus similes persona resci ac foueri possent, quae quidem loca ex ipso hospitalitatis actu, qui in ijs consueuit exerceri, hospitalia passim fuerunt nuncupata, cap. dilecti, de appell. & quandoque etiam elemosynaria ab ipsa elemosynarum elargitione, &c. Haec tenet Steph. VVeyms.

Qui teneantur, cogere possint ad illam prestandam, tradunt Cass. in Catalogo gloria mundi p. 11. consid. 46. Corduba de Lara in l. se quis à liberis, §. et si impubes, num. 37. ff. de liber. agnosce. Fucus de Visitat. lib. 2. c. 1. 3. Spin. in speculo testam. gloss. 6. princip. num. 8. Tiraq. de panis tempor. causa 14. ex num. 10. Menoch. de arbit. causa 182. nu. 43. Auendan. de exequend. mandatis lib. 2. cap. 8. Azeued. l. 7. num. 1. & 5. tit. 3. lib. 1. nou. recopil. Piafec. in praxi Episcopi part. 2. cap. 3. nu. 37. Marc. Anton. Genuent. in praet. Ecclesiast. quast. 152. incipsum in collect. ad cap. 1. de empt. & vendit.

Illis vero, &c.] Aduertit Stephan. VVeyms d. num. 28. & 29. praecipere Concilium adimpleri onus, officium, & ho-

Cap. 1. & c. quiescimus 42 dist. cap. Archidiaconum 85. dist. c. volumus 89. dist. cap. quia ad fin. & cap. in off. 1. q. 2. cap. quoniam 16. quest. 1. Matth. 25. c. Clem. quia contingit de relig. domib. & sup. c. 7. c. vit.

& hospitalitatem ex fructibus ad eam deputatis per eos, qui hospitalia, seu alia huiusmodi pia loca obtinent in commendam, administrationem, aut quemcumque ritulum, etiam si fuerint vnica Parochialibus, nec patitur fructus hospitalium in alium usum conuerti quam ex prima fundatione destinati sunt.

¶ *Quod si hospitalia, &c.* Vide Fr. Emman. *quæst. regul. tom. 2. quæst. 84. art. 2. vers. secundum*, Zerol. *in praxi Episcop. p. 1. verb. hospitalia*, §. 8. Aloyf. Ricc. *in collect. decis. part. 5. collect. 1655.*

Comprehendit hospitale, cuius à 30. annis & citra collatio & institutio in perpetuum titulum administrationis dari consuevit, quia Concil. excipit vnum casum dumtaxat quando aliter in fundatione cautum est, vt refert decisum Nicol. Garc. *de benefic. part. 1. cap. 3. num. 9.* vbi nu. 11. quod loquitur in administrationibus hospitalium, non autem aliorum piorum locorum. Steph. VVeyms

d. loco nu. 32. vbi dicit ideo in præfenti prohiberi vt deinceps vni, eidemque persona administratio seu gubernatio eiusmodi hospitalium ac piorum locorum committi non possit ultra triennium, nisi in ipsa fundatione aliter cautum reperatur, quia ex maiori temporis angustia, seu limitatione minor solet esse occasio ambiendi, cum nemo facile sit appetiturus quod præuidet diu non duraturum: & quia synodus nullam voluit consuetudinē quantumuis immemorabilem ob stare huic decreto de non committenda vni, eidemque persona administratione pij loci ultra triennium, censuit S. Congr. hoc eodem decreto contineri hospitale, cuius collatio, vel institutio dari consuevit in titulum perpetuum à trecentis, & citra annis, nam per expressionem vnica illius exceptionis intelligitur generaliter suo decreto comprehendisse omnes alios casus, quibus committi non possit administratio ultra triennium.

Iuspatronatus præsumptus probetur ex fundatione, vel donatione, siue ex multiplicatis præsentationibus. Vniuersitates, & Communitates pleniorē probationem faciant, ex præsumptione, quæ habetur contra illos. Episcopi præsentatos à patronis non idoneos repellant, & illorum examinatio ad ipsos Episcopos spectat.

C A P V T I X.

- 1 Doctores de materia cap. agentes.
- 2 Iuspatronatus titulus non probatur sufficienter per solam confessionem supplicantis.
- 3 Iuspatronatus titulus censetur probatus ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimū temporis cursum, qui hominum memoriam excedat.
- 4 Etiam si nullum instrumentum fundationis, vel donationis ostendatur.
- 5 Præsentationes multiplicatae quæ dicantur.
- 6 Iuspatronatus probatur ex præsentationibus, per spatium centum annorum effectum sortitis.
- 7 Iuspatronatus dicitur probatum ex fundatione, & donatione si constet de præsentationibus per centum annos effectum sortitis.
- 8 Antiquum quod dicatur in materia probationis.
- 9 Antiqui probatio si fiat per scripturas, & instrumenta, centum anni requiruntur, per testes verò 60. sufficiunt.
- 10 Centenarij effectum non tollit defectus modici temporis.
- 11 Tempus immemorabile quomodo probetur.
- 12 Testes debent esse 54. annorum ad probandum tempus immemorabile.
- 13 Immemoralis per testes minimè dicitur sufficienter articulata si testes non dicant quod non audierunt, nec viderunt contrarium.
- 14 Immemoralis vt conscribatur tam in testibus, quam in instrumentis concurrere debent anni elapsi vsque ad terminum controuersie motæ.
- 15 Tempus lris deducendum est tam in instrumentis, quam in testibus quando queritur an sit de antiquo.
- 16 Immemorales, seu continuatae præsentationes non suffragantur quando constaret de initio inualido.
- 17 Iuspatronatus quando præsumitur ex privilegio, & adest immemorabilis, illa nihil prodest.
- 18 Iuspatronatus ex privilegio Episcopi, in cuius pacifica possessione extiterunt præsentati per 40. annos, nihil prodest.
- 19 Lis quando est inter compræsentatos non requiritur rigor in probatione iuspatronatus.
- 20 Iuspatronatus potest præscribi ab vno contra alium compatronum spatio 40. annorum cum titulo colorato.
- 21 Iuspatronatus circa probationem nihil alterat Concil. in personis priuatis.
- 22 Quadragenaria probatur etiam vnica præsentatione si præsentatus per 40. annos fuerit in possessione.
- 23 Fama sola non probatur iuspatronatus.
- 24 Enunciatiuæ centum annos, & hominum memoriam excedentes prebent iuspatronatus.
- 25 Ordinariorum enunciatiuis multum defertur in probatione iuspatronatus.
- 26 Insigna alicuius familie sculpta in Ecclesia probant iuspatronatus.
- 27 Iuspatronatus probatur ex denominatione capellæ.
- 28 Iuspatronatus probatur ex inscriptione antiquissima in Ecclesia.
- 29 Iuspatronatus probatur ex sententia antiqua Episcopi.
- 30 Iuspatronatus probatur ex litteris institutionalibus Antistitum.
- 31 Iuspatronatus non probatur ex certo subsidio alicui præstito tanquam patrono.
- 32 Habet locum in Ecclesijs receptiuis.
- 33 Persona potentes quæ dicantur.
- 34 Imperator.
- 35 Rex Aragonie.
- 36 Infans Portugaliæ.
- 37 Baro, aliusque dominus iurisdictionem temporalem habens.
- 38 Magnas.
- 39 Colummentes.
- 40 Sabelli.
- 41 Vrsini.
- 42 Caraccioli.
- 43 Nobiles Veneti.
- 44 Iuspatronatus à qualibet familia potenti obtentum præsumitur ex usurpatione acquisitum.
- 45 Iuspatronatus dicitur priuatorum ad effugiendam usurpationis præsumptionem quando patroni non sunt domini temporales loci, vbi fundatum est.